

REM,,

S PARTES DISTRIBUTA.

nam leves admodum haec misericordiae....
? Obtinent quidem nec esse crimina.
patri pessimam tulit iniuriam,
e matri luctus origo fuit,
marsupium, vitam et hic abstulit....
c iam negligunt catenas ferreas,
ne ut teneras frangunt resticulas.
onversos mox in angelos cernimus,
nervis corii sed verbis potius,
qui proxime venit presbyteri,
ne gratia, sanctorum munere....
monet Rector habeas humaniter,
qui mos est, et addecet militem,
qui brachii defendit patriam....
nunc strenue defensor ianuae.¹

SCENA III.


AMBROSIUS solus.

ianuae, fui qui patriae!
mutant, sic mutantur homines....
nunc sint quid exercitia,
erunt mihi quod fastidium.
et, erudit virtutibus,
sti, quam nesciebant antea.
psi quae dicuntur unice,
assim pessima per compita....
it, ni fallor; monet me sonitus....
prius salutare commode,
romptus et paratus dicier.
Honoris nunc est occasio....
roximum numerum).

JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

E. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 75.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae tum in Italia, tum apud extereras civitates:

Alba (cum off. in opp. Canale), Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bengasi (in Cyrenaica), CAIRO (in Aegypto), Canelli, Castelnovo di Garfagnana, COSTANTINOPOLI (in Turcarum Imperio), Derna (in Cyrenaica), Fabriano, Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in opp. Centallo), Frascati, Frosinone, GENOVA, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Mont-blanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI (in Gallia), Pinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

NUMMARIAE MENSAE ROMANA RATIONES ET NEGOTIA.

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a)* iuxta quotidianas computationes easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b)* computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro annuo 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2 %, si mensium decim; *c)* parsimoniae foventae sub specie, anno fructu 3.60 %, cum facultate quotidie defendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a)* perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollutum subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argentaria res publice agatur; *b)* mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c)* in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d)* litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e)* exteros numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f)* fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservandis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandum, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

Ann. V.

AL

LATIN

Pretium annuae sub
march. 10; rubl.
FORNARI doctore

RELIGIO

Dum fervent
clades, mihi videt
de iisdem iudicium
tamquam filia Re
dominantium: imm
ex tantis iniuriis ta
quum homines tot
dam ipsius dicta
gantur.

Dum enim int
diantur gentes, ip
omnes homines fra
fratres estis. Et pa
bis super terram:
vester, qui in caelis
Ipse «Pater noster, r
culo nomen» eius
«ex uno omne genu
super universam»
(Act., XVII), ita ut
gantur «de numeris
prohibenturque ne
in superbiam super
XVII), ita ut sit «no
ex quo omnia et nos»

Ex quo, ait Religi
sum est: Diliges Dom

ELL. 75.000.000

propris aedibus
(Marcello)

teras civitates:

Arezzo, Avezzano, Bagni di Montecatini, Città di Castello, Canelli, Castelnuovo di Garfagnana, Città di Fermo, FIRENZE, Fossano (cum off. in Ovada), Mondovì (cum off. in opp. Carrù), Montinerolo, Porto S. Giorgio, Siena, Tarragona, Velletri, Viareggio, Viterbo.

NES ET NEGOTIA.

nine accipit: *a*) iuxta quotidianas facultate quotidie exigendi usque dierum quatuor, lib. 50.000; pro computationibus pariter quotidianis, um sex; $4\frac{1}{2}\%$, si mensium duodecim, cum facultate quotidie defensione 300. De maiore vero summa manutinem usque ad lib. 5000; ad dies

tones compensat duarum personarum solvendas; idque pro omnibus um ad formam, iuxta italicam legem incia requirentibus subvenit; *c*) in ibidem praesidio fundorum publicorum, ratae; *d*) litteras emitit ex credito maxima aguntur; *e*) exteris numeris in custodiam accipit, pro iisque immariae sunt.

AE,, Sociis

atine scripta venum dantur,

uli prandium, Milesiae a facile agendis. – Singulæ

novi flores. – Si tegumento aureoque titulo, lib. 2,25.

omam, Actiones drama-

e, Milesia fabula. – Lib. 1.

tinis. – Lib. 1.

Ann. V.

Romae, Idibus Aprilis MCMXVIII

Fasc. IV.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40; march. 10; rubl. $4\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

RELIGIO ET BELLUM

Dum fervent undique bella, incendia, clades, mihi videtur quasi ex alto Religio de iisdem iudicium ac sententiam ferre, tamquam filia Regis regum et Domini dominantium: immo tamquam triumphum ex tantis iniuriis tandem ipsa reportatura, quum homines tot malis obruti ad quaedam ipsius dictamina reverti iam cogantur.

Dum enim inter se fraticidiis digladiantur gentes, ipsa in mentem revocat omnes homines fratres esse: « Omnes vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in caelis est » (MATTH., XXIII). Ipse « Pater noster, redemptor noster, a saeculo nomen » eius (Is., LXIII). Deus enim « ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae » voluit (Act., XVII), ita ut ipsi etiam reges elegantur « de numero fratrum suorum », prohibenturque ne cor eorum « elevetur in superbiam super fratres suos » (Deut., XVII), ita ut sit « nobis unus Deus Pater ex quo omnia et nos in illum » (I, Cor., VIII).

Ex quo, ait Religio, « primum mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum ex

toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua ... Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Maius horum aliud mandatum non est » (MARC., XII). « In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae » (MATTH., XXII).

Unde iterum infert nullum hominem esse homini extraneum. Quapropter Christus damnat et sacerdotem et levitam, qui viderunt Iudeum a latronibus despoliatum, et praeterierunt; laudat vero Samaranum, haereticum, qui de eodem curam habuit. De quibus a Iurisperito quaerit Christus: « Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac similiter » (Luc., X).

Ceterum id in commodum et bonum omnium cedit, quod homines invicem sese benevolos ostendant, siquidem « Frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma; et iudicia quasi vectes urbium ».

Quae omnia a principio Deus statuit: « Et ait (Deus): Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris, et volatilibus caeli, et bestiis universaeque terrae, omniisque reptili quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad

imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit illos. Benedixitque Deus et ait: Crescite et multiplicamini, et replete terram et subiicite eam » (*Gen.*, I). Itaque, iubente Deo, terra non quidem bellorum causa, sed vinculum pacis esse deberet.

Ex quibus colligitur merito societatem humanam hisce fundamentis niti: nempe quod homines eumdem Deum, eumdem Auctorem, idem obiectum, eumdem finem, eamdem originem, eosdem mores, eumdem in venis sanguinem, eadem vicissim officia agnoscant et prosequantur.

**

Atvero libidines malaeque hominum cupiditates opus Dei misere perturbarunt, atque ab initiis, sicut superbia moverat hominem contra Deum, ita movit Caïn contra Abel; atque inde videmus Religio nem iura divina retinere, dum vicissim libidines laedunt et labefactant: immo illos ipsos quibus pacem, seu tranquillitatem ordinis in tuto ponere imprimis cometeret, scilicet principes, ad bella gentes suas provocare, ex superbia, ex invidia, ex avaritia, aliisque nefandis appetitus suis.

Religio h̄c duo praestat: primo scilicet damnat, et quidem vehementer, bella huiusmodi; secundo autem, ubi non audiatur, hortatur ad bella iusta, defensionis, contra bella iniusta, aggressionis.

Damnat bellum iniuste illatum. Mox enim, si triumphos ducant, testatur eosdem recepisse hanc mercedem quam solum expetierant, id est « vani vanam », ita pronuntiante Augustino: sed et perdidisse animam suam in aeternitate.

Nec satis; siquidem triumphi illi in clades et ruinas plerumque, citius tardiusve, ruunt, Quod ita cecinit Religio:

« Quomodo cessavit exactor, quievit triumbutum?

« Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,

« Caedentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes; persequentem crudeliter.

« Conquievit et siluit omnis terra, gavisus est et exsultavit.

« ... Omnes principes terrae surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum.

« Universi respondebunt et dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut et nos, nostri similis effectus es.

« Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sterneatur tinea, et operimentum tuum erunt vermes.

« ... Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna?

« Qui posuit orbem desertum, et urbes eius destruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?

« Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria, vir in domo sua.

« Tu autem projectus es de sepulcro tuo quasi stirps inutilis, pollutus. ... » (*Is.*, XIV).

« Reprobat Religio omnis generis libidines, calumnias, mendacia, rapinas: eo vehementius quo immaniora procurant mala.

**

Ubi tamen homines violenti aurem surdam praebent, tum Religio imperat, ut homines innocentes contra aggressiones strenue decertent: tunc enim pugnatur reapse pro pace, seu tranquillitate ordinis, dum contra eiusdem ordinis perturbatores agitur. Quapropter multi fortes bellatores in Scripturis laudantur, e quibus unus Matthias nominetur, qui Religionis nomine ita peroravit: « Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerunt et non pugnaverimus adversus gentes pro animabus nostris et iustificationibus nostris, nunc citius disperdent nos a terra ... Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversio- nis et via indignationis. Nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis, et date animas

vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis, et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum » (*I. Mach.*, II).

Quin immo in iure suo et patrio servando feminae quoque sese intrepidas exhibent, quales fuere Iahel, Debora, Judith.

Iahel clavum malleo infixit Sisarae capiti; de quo canticum inter sublimia sublime protulit alia femina, scilicet Debora:

« Qui sponte obtulisti animas vestras ad periculum, benedicite Domino.

« Audite Reges; auribus percipite, principes: Ego sum, ego sum quae Domino canam, psallam Domino Deo Israel.

« Benedicta inter mulieres Iahel, uxor Heber, Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo.

« Aquam petenti lac dedit et in phiala principum obtulit butyrum.

« Sinistram manum misit ad clavum et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram, quaerens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans.

« Inter pedes eius, ruit; defecit et mortuus est: solvebatur ante pedes eius et iacebat exanimis et miserabilis » (*Jud.*, V).

Haud secus Judith (XVI), quae caput Holopherni viriliter absciderat, ita cecinit:

« Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi psalmum novum, exaltate et invocate nomen eius.

« ... Venit Assur ex montibus ab Aquilone in multitudine fortitudinis suae: cuius multitudine obturavit torrentes, et equi eorum cooperuerunt valles.

« Dixit se incensurum fines meos, et iuvenes meos occisurum gladio, infantes meos dare in praedam, et virgines in captivitatem:

« Dominus autem omnipotens nocuit eum et tradidit eum in manus feminae, et confudit eum ».

**

Ita Religio perpetuo et ubique; siquidem ipsa servare studet pacem seu tranquillitatem ordinis; perturbatores vero ordinis damnat atque punit, etiam, servato quidem moderamine inculpatae tutelae, per bella iusta et aequa, quae ordinem turbatum instaurent.

Neque, quod sane notandum est, ab hisce documentis multum distant plures inter bellantes hodiernos: unde et Religio triumphum maximum sortitura aliquando, me iudice, erit.

I. I. BERTHIER.

DE CHRISTIANAE SAPIENTIAE SCRIPTORIBUS

Vel ab illo tempore, quo florescens adhuc aetate atque studiis ad scholam latinarie eloquentiae Augustae Taurinorum starem, peculiari amore ferebar in Sancti Hieronymi epistolas perlegendas, quas suave mentis delicium dictitans, attentis oculis usurpabam. Quum itaque, ut me quodammodo mundano sic pulvere detergerem, eas identidem lectitarem et elegantissimam admirarer illius magistri formam, cum comitibus hanc meam observantiam leniter communicabam. Quin imo, familiaritate usus, quam mihi facile concederet nobilissimus ille latinarum elegantiarum suae aetatis arbiter, Thomas Vallaurius, immortalis magister meus, placidis utique verbis itemque severis que rebar, quod ipse de latinis scriptoribus narrans, quos *Sanctos Patres* appellare consuevimus, nimis se asperum atque immodicum gessisset in eorum iudicio.

— Ecur, — aiebam, — eos incusas, venustae et concinnae orationis securos, bar-

barum atque horridum scribendi genus plerumque usurpasse?¹

Ille vero subridens, quietisque me oculis etiam atque etiam observans, ad legenda quae scripsisset hortabatur, ne me diutius de hac re quaeritatem audire libenter demonstraret.

Ego vero amabam, in oculis prope ferebam illud nostrum litterarum latinarum decus, qui illa aetate tam Nominis Christiano turbulentissima, Pium IX P. M. elegantissimis saepe inscriptionibus itemque sanctissimis solabatur a multis male multatum, et catholicam veritatem a calumniantibus fortiter et libero ore vindicabat.

— Cur ita, — reponebam, — tam acriter eos rependis et quasi vituperas? Quid osores Nominis Christiani de te in posterum cogitabunt? Scribis enim: « Scriptores christiana sapientiae, conceptissimis verbis, professi sunt velle se expositionem sermonis atque artis grammaticae leges negligere... ».

Scimus, et hanc veniam petimusque damusque / vicissim!

Illa enim Augustini verba oratorie proleta haud ita mordicus accipienda esse iudicabo, ut reapse sonant, ut nulla prorsus in suis operibus ars sit invenienda. Quod sane absurdum esset atque a veritate omnino absonum. Haec est potius scribendi ratio a scriptoribus aliquando adhibita, se se excusandi causa, ut ipse noster Aligherius stilum suum infantilem appellat. Quis enim Aligherii formam puerilem incusare audebit?

Ipse profecto, ut se se aliquantis per de nimia acerbitate expurget, paulo post adiungit: « Ita tamen nolim intelligi, quasi omnem omnino dignitatem rerum divinarum scriptoribus detrahendam putem... ».

¹ Haec verba integre descripsi ex opere cui est titulus: *Historia Critica litterarum latinarum*, quam Thomas Vallaurius expolitissime edidit.

Quae quum ita sint, in animo est quod tamdiu erat in votis, ut alii ingenio potentes, tentarent, priusquam ad sacros scriptores pervenerim, nonnulla praefari de Christianorum sermone, quo Romae primum inter se Christiani uti consueverint.

Uti vero nos Itali primam patrii sermonis vulgaris aetatem, ob nativam scriptorum simplicitatem, laeti inquirimus atque admiramur et peculiari perscrutamur diligentia, ac tamquam ditissimam optimae linguae venam praedicamus, eamque cum sequiore et magis perfecta libenter componimus, ita, nisi religionis amor mihi insidias paret, ad illius Christianorum praeceuae aetatis studium alacriores adgredi debemus.

Humilis equidem et pedestris apparet, et exigua scriptorum copia in primis recensetur, quum nemo fere aliquod sibi nomen comparare scribendo studeat, quum ita vanam gloriolam ii considerent, et omnes, sui securi, terrestria uti mortalia contemnentes, ad caelestia unice respiciant, quae immortalia reputant; ad haec ut ad surgant omni opere adlaborant.

Quapropter, id nos modo assequi volumus, perperam quosdam insectari atque iniustas sententias exercere in Christianos latinos scriptores. Hi nempe haud sunt cum Cicerone componendi, sed optimam scribendi rationem plerumque usurparunt, et cum ceteris de puritate decertare possunt. Quin imo prima Christianorum scripta, quum aetatis sua notam referant, litterarum quoque conditionem praetendunt, quam aliunde frustra requires.

Quod potius est, idque pretiosius atque memoratu dignissimum.

Ac propterea, hoc potissimum nomine, etiamsi ab aurea romani sermonis elegancia recesserint, re bene perpensa, litterarum latinarum sospitatores sunt dicendi.

Sed sui sunt, neque aliter esse possunt; atque illis temporibus perfectam eloquentiam nobis reliquerunt, quos valde pro-

bando autem. Nulli iam alii, in profanis scriptoribus numerantur, nisi garuli quidam declamatores atque inanes sophistae.

Christiana solum doctrina oratores et philosophos enutrire potest, unde novus sapientiae rivulus, quasi incorruptus quidam succus et sanguis in latinas linguis influxit.

Campus hic latissime patet, quem nos delibare aliquo modo adgredimur, eo tamen consilio, ut Itali iterum ad haec praeclara latini sermonis exemplaria respiquant, et tamquam decadentis romanae eloquentiae sospites Christianique Nominis fidissimos vindices e longe salutent.

Magnum enim proventum scriptorum illa nobis aetas protulit. Et alma Roma, post tetricima persecutorum tempora in pulchra atque uberrima quiete posita, multos est iterum insignes scriptores amplexata, quos, nova lauro redimitos, uti filios enutravit laudibusque honestavit.

I. B. FRANCESIA.



De natura artis quae pulchra appellatur¹

III.

Iamvero ad artificem, sive « causam artis pulchrae efficientem » deveniamus.

« Materia — scripsit Angelicus² — non sequitur formam, nisi secundum quod movetur ab agente ». Agens, seu causa effi-

¹ Cfr. fasc. super.

² S. THOMAS, *S. Theol.*, p. 1-2, q. 1, a. 2, c. « Ex parte facientis est triplex principium: scilicet intentionis, quod est finis, qui movet agentem; rationis, quod est forma in mente artificis; et executionis, quod est potentia operans » (S. THOM., *In Ioann.*, c. 1, iect. 1).

ciens pulchrorum operum, non est materia nec forma, sed principium utique externum, seu virtus ac dexteritas humanae mentis, quae vulgo *Genius* appellatur.

Artifex autem, seu « vir genii », est principium activitate ac libertate praeditum, ideoque non ad unum opus determinatur, sed diversa et diversis modis operari potest; atque proinde « agens principalis » vocatur.

Sequitur « agentia naturalia » haud esse artifices, quia libertate carent; agentia sunt secundaria seu instrumentalia relate ad sua opera pulchra, ac semper et ubique constanter sub divina motione operantur.

Artifex praeterea formam suam, exemplar in mente gerit, ad cuius similitudinem opera pulchra conficit. Itaque aedificator per formam domus, quam habet in mente, facit domum, quae est in materia. Et ita effectus artificialis ex sui simili fit; non quidem ex sui simili in ratione naturae, sed in ratione formae, seu exemplaris. Artifex namque, ut causa secunda, est causa analogia et non univoca; quapropter effectus eius est « secundum fieri », non quidem « secundum esse » eius.

**

Sed quanam ab exteriori causa excitata est ingenii dexteritas ad artes procreandas atque excolendas?

Concors est doctorum virorum sententia, artes pulchras ex naturae contemplatione et imitatione exortas fuisse. Ut enim homo, ducente propriae conservationis instinctu, vitae necessitatibus per artes serviles consuluit, per agriculturam nempe, per pecuariam, venatoriam, vestiarium, etc., ita, nobiliiori instinctu ducente, res naturales contemplando, quibus semper circumdatur, Supremum Artificem imitari studuit atque in materia sensibili formas suas suosque effectus exprimere, non propter indigentiam, sed propter iucunditatem.

«Repraesentatio enim naturaliter homini delectabilis est».¹

Sane hominem vel rudem ita a natura comparatum conspicimus, ut maxima affectuatur delectatione erga imagines, signa et vestigia rerum: hinc propensio suas universales significandi formas mirabili signorum imaginumque singularium varietate.

Quapropter et mundum universum circumspiciens; et caelum astris distinctum et ornatum; atque terram et mare cum innumerabilibus viventium et non viventium speciebus; et plurimarum rerum mutaciones generationesque; et in seipso, veluti in microcosmo, ampliores excellentiores que mundi externi perfectiones reperiens; et cuncta intelligens, notans et admiratus; hisce allactus, artem Supremi Conditoris imitari voluit, suaque virtute «novum quid» gignere et creare.

Hinc pulchrarum artium initia prima. «Notatio naturae et animadversio peperit artem», ait Cicero.² Et Seneca: «Omnis ars naturae est imitatio». ³

* * *

Atvero agens nisi aliquo fine motus et ductus haud operatur: finis igitur causa est, quae humanum artificem ad opera pulchra movet.

Quinam est igitur artis pulchrae finis?

Ars pulchra ex natura sua atque immediate ad opera pulchra producenda ordinatur; ideoque artifex semper intendit ut formam pulchritudinis in materiam inducat. Sed ipse poterit insuper ex arbitrio suo alium finem «mediatum» sibi propondere, ad quem artefacta dirigat, puta honorem, pecuniam... Hic finis, quia cum opere ex una artificis intentione consocia-

tur, «finis operantis» vocatur; quum finis ex rei natura dimanans «finis operis» dicitur.

Sed quia quidquid operatur homo, ad suam perfectionem est ordinatum, sequitur ut sit finis bonarum artium adaequatus maiorem humani generis perfectionem physicam, intellectualem, moralem promovere; accessorie tamen ac mediate.¹

Aliis verbis, ars est ad pulchrum opus; pulchrum opus ad delectationem; delectatio ad hominis profectum, praesertim moralem. Recte igitur Aquinas: «Omnis scientiae et artes ordinantur ad unum, scilicet ad hominis perfectionem». ² «Nos sumus quodammodo finis omnium artificialium». ³

* * *

Ex dictis eruitur quid recte diiudicandum sit de pulchrarum artium «libertate» et «moralitate». Artes nempe liberae vere sunt, sed non exinde impudicae et obscenae; ad morum integratatem non directe ordinantur, sed a morum probitate abscedere non possunt. Scilicet, ad bonum artis usum moralis aliqua virtus requiritur. Itaque principium illud: «Ars propter Artem» ita emendari debet: «Ars propter vitam», vel: «Ars propter hominem».

Neapoli.

G. LEPORE.

¹ Homo suae perfectioni physicae per artes mechanicas; suae perfectioni intellectuali per artem bene ratiocinandi, idest per Logicam; suae perfectioni morali per artem ethicanam directe providet.

² S. THOMAS, *Prooemium in Metaphys.*

³ IDEM, *Phys.*, lib. 2, lect. 4.

Tunc amor tuus ad te ipsum temperans erit et iustus, si quod propriis subtrahitur voluptatibus, fratris necessitatibus non negetur: sic amor socialis efficitur, quum in communi protrahitur.

S. BERNARDUS, *De dilig. Deo.*

¹ S. THOMAS, *S. Theol.*, p. 1, q. 1, a 9, ad 1.

² *Orat.*, cap. LV, 183.

³ *Epist. LXIV*, 3.

Ad Amicum ruricolam de luctuosis belli vicissitudinibus ex Urbe epistola

Carsica et Epiri iuga tum scopulosa Tridenti
Nonne crux, italis ossibus atque tument?
Quod mare sive solum, vaga flumina quaeve per [omnem]
Europam armorum non strepere sono?
Prae tanto excidio panem qui, Musa, doleres
Ad commune bonum, Marte furente, brevem?
Defle tu potius pessumdata pondera frugum
Navibus a doctis nare sub Oceano.
Velivolae ecce rates feriunt monumenta, ruuntque
Templa etiam explosa sulphure quassa tholis.
Una militibus pupos genitricis in ulnis
Atque hostile senes missile caedit idem;
Hospita tecta quoque aegrorum devota saluti
Desuper icta ferunt, oh scelus! interitum.
Cui Mavors parcat? caelo terisque marique
Ignea tela vibrans glans vomit ore necem.
Monstrum immane! novae commenta scientiae et [artis]
Sunt in perniciem foedere versa truci.
Haec tamen ausa cadent: patriae sacra iura pa[rentis]
Municipes tuitum se et sua sponte vovent.
Noverit effosso constrictus in aggere miles
Civem quemque domi ferre et acerba pati.
Ausoniae fines temerat dum nordicus hostis
Quos fera teutonicis sors reseravit equis.
Fortiter ac italus vitam profundere promptus
Pro aris bellator dimicat atque foci,
Rellgio institui gravibus nos mortibus omnes
Et patriae studium consociata iubent.
Gaudia nunc populus fugiat praeposta: ludis
Nunc laxare animos civibus esto nefas.
Lex suprema salus patriae; praeclara nepotes
Exempla instaurent, orbe stupente, patrum.
Ocyus ut nostro rutile Pax candida caelo
Complexa extorrem denique iustitiam.
Suscepit vota, Deus, precibusque inflectere nostris
Italiae ut repares numine fata tuo.
In Vaticana pacis sedet arce sequester
Quo via praesidiibus, iusta monente, patet.
Trino suspiciant populi diademate cinctum
Hinc patriae, hinc orbi Pax cumulata bonis.
Tempora si longo tua sum sermone moratus,
Me rapuere elegi: Tu bone, parce, precor!
Mediolani.

Sac. CAESAR MAMBRETTI.

VETERA ET NOVA

De navibus in profundo mari navigantibus.¹

Ad incoepit redéo, quod vetera ad eundi opera difficultas interruperat; atque maiorum cogitata de submarina navigatione recolere persequens, de duobus aliis auctoribus Mersenno prope aequalibus sermonem hodie faciam; Gallis et ipsis, neque subaqueam ipsam navigationem rem impossibilem existimantibus.

Horum alter, Georgius Fournierus,² revocato principio, corpora, quae eiusdem ponderis quam aquae sint, eodem in loco morari ubi sub aqua posita fuerint, si navis – inquit – construatur tam gravis, ut aquae tantumdem ab eius pondere aequetur, sub mari morabitur ubi volueris, neque e fundo iterum emerget, nisi ei fueris auxiliatus; per paremque fundum variis artificibus trahere poteris, donec ipsam leviores feceris, ut facile super aquam iterum reducatur, ad aërem renovandum, vel alia opportuna de causa. Quod si exempli gratia librae centum pondo necesse sint, ut navis undam apprime innatet, certum est eam iri immersum per vim aut pondus librarum centum unius, atque rursus ascensuram, libris duabus exoneratam. Maxima igitur una erit difficultas, nāvem ipsam sub aqua in eo statu continendi, ut quo libeat trahi possit, eoque citius quo oporteat transfratur, habita marini fundi ratione.

Quomodo hanc difficultatem solvere licet Fournierus non dixit; sed verba habens et rationes instituens de renovando

¹ Cfr. volumen sup. anni MCMXVII, pag. 107, 139, 155.

² Hydrographie contenant la théorie et la pratique de toutes les parties de la navigation (Paris, MDCLXVII) – Lib. XVIII, coroll. ad cap. VIII: *Quel deuroit être un Navire pour nager entre deux.*

aëre priusquam corrumpatur, ad Mersenni calculos accedit, viri tantae doctrinae tantorumque bene actorum, eorumque singularium experimentorum, quam quemque ipse qui scribebat cognoverit, quique id haberet peculiare et suum, ut ea summa persuasione ac sinceritate explanaret.³

* * *

Duobus annis postquam Fournierus hydrographiae tractatum gallice edidit, Honoratus Fabri, sacerdos e Societate Iesu, scriptor facundissimus, *Physicam* suam vulgabat;² ibique circa grave et leve agens,³ de subaqueis lintribus consulto disseruit earumque possibilitatem admisit atque descriptis.

At iuvat ipsum disserentem audire:

« Construi potest navigium, quod aliquando aquis, more solito, innatet, alias vero prorsus immagratur, rursumque ad libitum naucleri, emergat. Hoc navigii genus ante aliquot annos, non sine hominum stupore, prodiit, cuius artificium in eo positum est, quod modo gravius, modo levius evadat; gravius certe quum appensa pondera ex laqueari navigii, in libero aëre pendent; levius vero quum eadem pondera demittuntur in mare, per foramina sacci coriaceis instructa; qui scilicet modo stringi, modo laxari possint.

« Sunt autem quaedam hīc maxime observanda:

« Primo, aperta foramina in fundo navis esse possent, et tantulum aquae subiret; quae tamen infimam tantum sentinam occupans, reliquam navigii cavitatem libe-

ram omnino relinquere; at maximum et minime ferendum inde resultaret incommodum; nempe quum aer navigii cavitatem implens extrudi non posset, ab aquae pondere maxime comprimeretur; ac proinde duci a pulmonibus non posset; igitur ad vitandum hoc incommodum, foramina obstructa esse, necesse est.

« Secundo debet navis operculum ita componi, ut modo attolli, modo adduci possit tam accurate, ut per rimas aqua minime subire possit; in quo certe nulla est difficultas.

« Tertio debet esse paulo a nōplior navigii cavitatis, ne scilicet aura statim ab anhelitu, et fumo corrumpatur; igitur debet esse ad instar amplissimae aulae.

« Quarto sacci coriacei debent esse flexibiles, omnis motus dociles, gemino ligamine instructi, ut omnis aditus aquae obstruatur, quod facile intelligi potest; immo praedictorum saccorum opera remi adhiberi possunt, sed profecto remi inutiles essent, modo longiores sudes non absint, quarum opera navis attolli et moveri possit.

« Quinto, talis esse debet huiusmodi ponderum proportio, ut navim tantulo graviores aequali aquae mole efficiant; ut scilicet minimo negotio pelli navis et agi possit; quod facile fiet, si tantulo praedicta mole aquae sit gravior.

« Sexto, hac arte vitari possent innumera fere incommoda, quae nostris navibus mare offert; v. g. sic optime piratarum spes eluderetur, et saeva tempestas falleretur, cuius agitatio vix ad aliquot passus pervenit: denique acus magneticae usus multum prodesset ».

Haec Fabri; ex quibus deducere licet, ni fallimur, Schottum, de quo fusius loquuti fuimus, temerarie satis de Mersenni cogitationis iudicasse, neque iure meritoque in congressu illo doctorum virorum, ad quem sese referebat, Mersenni submarinam navem phantasticae navis nomen audiisse,

quin imo quum res aliqua impossibilis significari vellet, dici solitum eam instar navis Mersenni esse.

* * *

Quoniam autem de Fabrio mentio incident, ne grave fiat eius accipere mentem de alia re, eaque ballistica, quam in ipso opere physico designatam invenimus; non solum quia vocabulo usum fuisse vidimus, quod nos ad aenea nostri temporis tormenta maxima significanda, catapultas nempe, eius operis etiam tum inscii, praetulimus; sed etiam ut aliud sumere liceat argumentum, quousque tandem eruditus tunc temporis viri ingenio suo processerint.

Scilicet in Tract. I libri II *de Compresso et Tenso* scribit: « Observabis... fieri posse maiores et minores **catapultas pneumaticas**; immo maiora tormenta bellica hac arte explodi posse; atque adeo maximis sumptibus rei sulphureae hoc modo parceretur, summumque illud periculum vitaretur, ne disrumpatur tormentum, ubi plus aequo ab accenso pulvere incaluit. Hac arte etiam maiores globi igniarii, vulgari lingua *bombes*, evibrari possunt, et ingentia saxa, quae alioquin nimia vis caloris in calcem redigeret; sed vis mechnica adhibenda est, nempe corpus compressioni resistit. Denique praeter alia commoda, quae ex hoc tormentorum genere oriuntur, illud potissimum est, quod nulla praevia flamma iactum prodat ».

Equidem si nitratus pulvis absque fumo invictus est, qui iactus locum celet, nunquam audivi in catapultam hanc pneumaticam doctorum virorum studium conversum fuisse, ita ut ipsa aliquo modo perficeretur atque... in exitium humani generis adhiberetur. Dummodo ne eiusmodi sit ignotae rationis catapulta illa, quae iam plures dies Lutetiam Parisiorum ex in-

¹ Cfr. ALMA ROMA, an. II, fasc. VII, pag. 134.

credibili distantia pessumdat. Germanica enim doctrina exquisitissima et antiquarum rerum tam assidua investigatrix...

Sed ne in risum cedat oratio, quando lacrimae multae et assiduae in cultam huius generis humanitatem effundendae sunt!

I. F.



COMMUNIA VITAE

De verbis salutatoriis.

Omnis Italia, hisce praesertim temporibus, multis utique de causis, ac praeter opinionem, a frequentibus peregrinantibus haud invisitur, sed belli causa in parte illa potissimum, quae ab Alpibus Graiis pertinet ad mare Adriacum, quot Galli milites, quot Angli versantur, et inter Italicas cohortes familiariter morantur! Iuvat itaque ad eos amice accedere, eosque simul colloquentes audire, et animi causa vel eruditio, si magis lubet, ex improviso eos deprehendere. Etsi valde es alienigenarum sermonis expers, nihil interest, namque nonnulla singulorum verba leviter intelliges, ea praesertim quae salutatoria dicuntur, quaeque frequentius ab omnibus referuntur. Et si inter eorum ordines pertransire lubet, vel nolens, ita nationis ingenium facile noscitaris.

Qua enim festinatione animorumque laetitia per aërem volitant in amicitiae signum et ioci! Hic adsunt Galli, qui more suo suaviter te salutant, et obvium quemque fando ultiro compellant. Illic graviter Angli colloquuntur, et lente et vario te quoque sermone tenent. At illi et isti, se se primis modo verbis suaे nationis indolem optime confitentur.

Visne exemplis hanc meam probem sententiam?

Accipe.

Gallus, qui festivus est totus et comis, te dulci alloquo multisque caeremoniis salutat, itemque illis frequentissimis verbis incurrit, quae manifestam atque exteriorem totius gentis indolem promunt. Nonne dicunt semper: « Quomodo te geris? Quomodo te cum ceteris confers? ».

Omnis enim homo penes illos in habitu esse videtur et plerumque in una corporis specie, omni admodum posthabita mentis gravitate. Eo omnino tendere videntur, ut coram ceteris appareant atque exterius eximie se se conferant. Quin imo Gallum quodammodo se gloriosum ostendere omnes facile admittunt. Haec tamen velim citra invidiam dicta esse reputes.

Ut ad Anglum veniam, subito dicam, hunc esse in primis negotiatorem. Itaque te suis illico verbis compellat, quae mercatorem hominem longissime redolent...

« Res tibi prospere cedunt? ».

Ipse enim nihil aliud quaerere, nihil in agendum cogitare videtur, quam quod ad utilitatem spectat; et quidquid facit hoc sibi unum proponere, ut prospicit.

Arrepta occasione, ni tibi erit grave, adiungam quomodo Hispanus, quem gloriosum populum passim fuisse dicitant grandemque se facile appellant exhibere, si te obiter offendit, hisce verbis sese manifestet dicens: « Quomodo incedis? ».

Nonne facile sentis Iunonem:

Ast ego quae divum incedo Regina?...

In mentem quoque revocat quid de Didone legitur:

Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit.

Noster et Hispanus amplitudinem veterem et in verbis, quibus ad salutandum, utitur.

Quid de Romanis? « Si vales bene est, ego quidem valeo! ».

Qum nos Romanos, « rerum dominos, gentemque togatam » graphicè sculpere volumus, qui in una corporis soliditate

ac salute rem posuerant, ex ipsa salutandi ratione deprehendere possumus: namque semper dicebant: « Quomodo vales? - Esne sanus, fortis, validus? » Et oratorum Romanorum princeps, Cicero, quem optime Reipublicae decus atque ornamentum appellaveris, in epistolis suis, perpetuo quasi ad satietatem repetit eamdem dicendi formam. Apparet semper populus fortis, ferrox, qui evertit omnem terrarum orbem, et se se

Commodat in populum terrae pelagique potentem.

Et de recentibus Romanis, qui sumus nos Itali, quid dicam? Nos nitimus in rebus, quae fluxae sunt et labuntur, et semper timidi ne quid aliis mali accidat, sic obvio cuique dicimus: « Quomodo stas? - Res tuae suntne prosperae? - Esne in rebus prosperis an arduis? ». Habent tamen haec verba, mea quidem sententia, in se aliquid veteris adhuc sermonis, retinent nescio quid romanae virtutis. Utinam ita reapse res sint! Videant nepotes. Nos moesti dicimus:

Omnis in Ascanio cari stat cura parentis!

Denique, ne inanis esse videatur haec nostra conversatio, atque ad caelestia aliquando adsurgamus, vos, humanissimi letores, christianorum more, profecturus salutabo: « Deus vos servet incolumes! Omnia sint vobis faustissima! Valete! ».

SUBALPINUS.

ANTONIUS MANNO.

Ineunte mense Martio huius anni, diem supremum Augustae Taurinorum egit Antonius Manno, vir patritius, ibi natus an. MDCCXXXIV, sed a nobili familia Sardiniæ. Joseph, eius pater, integerrimus magistratus, qui multis litteris inclaruit atque honoribus, filium veluti manu ad historiae

cultus atque religionis perduxit. Atque adeo Antonius, paternis vestigiis insistent, eiusque consilium maxime secutus, historiam unice amavit, et in exemplum omnibus enituit. Namque, a populari iactatione remotus, ita se litteris abdidit, ut amplissimis Reipublicae muneribus renuntiatis, totus in historia conscribenda incumberet. Historici scriptoris partes optime agens, tanta doctrina, varietate, totque insignibus verborum et sententiarum luminibus orationem distinxit, ut maxima voluntate afficiantur lectores. Cuncta eius volmina, quem fontem, aut quod eloquentiae flumen non habent!

Italici sermonis scriptor politissimus, in complures ordines equestres adlectus, supremam partem in patriciorum titulis tutandis instituendisque obtinuit. Atque in hac re censoriam quamdam severitatem exercens, dignos identidem extulit indigosque exegit.

Diu praeses fuit inter sodales Taurinenses scientiae finibus proferendis. Acerrimus rerum Subalpinarum spectator, multas antiquorum virtutes enarravit, et ipse insignis patientiae animique fortitudinis monumentum exstitit. Aequo animo graves rerum eversiones tulit, et miram in familia regunda providentiam et sedulitatem exhibuit. Antiqua fide atque integritate ita se omnibus probavit, ut pleraque litterarum controversiae ad eius arbitrium componerentur.

Vulgi studia patriae caritati et religioni posthabuit. Virum fortem nos admirati sumus, qui hostes Christiani Nominis blandientes risit, imperiosos non expavit. Quibus inaniter reluctantibus ad excelsam Senatus amplitudinem, plaudentibus bonis, tandem pervenit. Egregium exantanti laboris praemium amici amico sunt gratulati.

Leoni XIII P. M. eximie carus fuit, tum ob studiorum elegantiam, tum ob strenuam pectoris fortitudinem tuendae religionis,

Ingravescentem morbum mirum in modum christiana fide pertulit. Eius obitus, sanctissimis religionibus recreatus, in moorem filios, amicos populumque coniecit. Vale, anima nobilissima, in pace!

I. B. F.

ANNALES

Europaeum bellum.

Divide, et impera! - Vulgatum hoc monitum in mentem facile, ut nobis, cuique succurrit, qui Russicum pacis cum Germania foedus consideraverit. Dividere equidem et imperare Germanorum fuit, qui quum amicitiae capita Russorum legatis subscribenda offerebant, ignivomis tormentis Petropolim urbem simul vexabant. Dicunt eosdem legatos pactionibus subscriptis, ne lectis quidem antea; certe animis eorum luctu refugiendum fuit, quum sancire cogerentur magni hucusque imperii finem, nec ipsam gloriosam.

Russia enim Finlandiae, Poloniae, Estoniae, Curlandiae, Ucrainae detractionem paciscebatur; Turcarum imperio Armeniam et Mesopotamiam relinquebat; omni praeterca maritima efficientia privabatur; et Asiam versus depulsā, quavis interpolatione de Europae, et Balkanicae praesertim regionis, civilibus rebus sese abdicabat... Hoc profecto eventu noxas regiminis historia adnotabit, quod gentis sibi commissae periculum praestare non valuit, immo spiritus repressit atque fregit; verum colliget etiam Germanorum haud satis integrum agendi rationem; qui, postquam a Russico gubernio petiverunt atque obtinuerunt ut exercitum dimitteret, munitionesque et commeatus destrueret, idem

gubernium haud cunctanter ex lege declararunt; atque in crimen subversi ordinis circa Finlandiam, Estoniam et Curlandiam ipsum vocantes, has provincias invaserunt et occupant adhuc; quin imo sub Germanico praeside, tamquam populiscito delecto, tenebunt forte in posterum. Neque satis; nam visu ordinis eodem modo in Ucraina restituendi ab intestinis factionibus vexata, huc etiam sese contulerunt, profecto ut ad Pontum Euxinum pervenirent a Baltico usque mari, - ubi ad insulas Aaland et Abo, adversus Scandiam, copias suas exposuere, - utque viam sibi ad Orientales plagas aperirent alibi ipsis paeclusam, quamque metam eorum iamdiu fuisse novimus, atque non ultimam immanis huius belli causam.


Rebus ita sibi comparatis - atque brevi Rumeniae sacrificium accedit, cui, iam insulatae, arma per iussas condiciones tradenda erunt - bellicam vim suam omnem Teutones ad Occidentem verterunt in Galliae campum, ubi acerrimum et cruentissimum, quod unquam in terris homines viderint, proelium aliquot iam dies pugnatur. Hostium consilium et hic divisionis apparuit, segregandi nempe ab Anglis Gallos, proindeque utrumque exercitum separatim debellandi. Per sexaginta circiter passuum millia ingentissimo impetu producto hinc post Sancti Quintini, inde post La-Fère urbes superatas, bipartito agmine Peronne usque ac Montdidier processerunt, Samarobrivam - vulgo Amiens - tendentes; superius autem per Bapaume oppidum, quod pariter occuparunt, Atrebatum versus. Quod si praecipue Anglos, numero minores, retrocedere coegerunt, non tamen eorum frontem transfodere sociosque exercitus disgregare valuerunt, licet militum suorum veram hecatomben horrendo fato immolaverint. Galli enim ne dodrantem quidem patriae suaे feris hostibus cedunt, quin eorum cadaveribus terram severint late. Imo etiam infesta

signa ipsi vice sua in Germanos intulerunt Noiovum ad urbem perque Oise fluminis ripas; nihil territi quod hostes per catapultam singularem, ex loco longissime posito et ignoto adhuc, Lutetiam Parisiorum mortiferis glandibus pessumdent; maxime vero detestantes ne templis quidem impudenter ab iis parci illa praesertim die Parasceves, illisque horis, in quibus fidelium pietas ad Christi Redemptoris passionem recolendam in iisdem congregabatur.

Per Dei et hominum fidem! Verba profecto desunt ad huiusmodi facinora exacerbanda!

Kalendas Aprilibus MCMXVIII.

POPULICOLA.



VACUI TEMPORIS HORA

Initium scribendi hodie facio, dum aera campana per universum orbem Christi resurrectionem festive nunciant.

Menti vero facile, imo sponte succurrit cum hoc sono in cruentis Galliae campis ignifera rum catapultarum horrendum fragorem heu! misceri. Pascha igitur Domini, qui inter discipulos redivivus apparet Pax vobis! clamavit, terram hodie invenit funesto bello adhuc ever sam fraternoque sanguine madidam; novum que ver, quod floribus arbores iam ditaverat gemmisque prata virentia, decorum iter suum hiemalibus novis rigoribus praepeditum videt.

Ut vero brevis erit ad asperam tempestatem tristis iste reditus, brevis identidem fiat trepidis hisce diebus animorum anxia sollicitudo! Vincat in nobis demum beatificus Christi resurgentis visus, isque demissos spiritus erigat atque in cogitatione laetificet, Ipsi, regum regi et domino dominantium, uni esse datum omnes gentes ad pacem, ad amorem, ad fidem tandem reducere!

Haec omina, haec vota sinatis hodie, o socii et lectores mei humanissimi, imprimis proferam.

**

Quum humana tam tristia sint, vestrum nemo, ne Badaicensis quidem ille amicus quondam meus (*quondam dixi, namque eum misero mihi! perditum credo*) a me exspectet ut de paschalibus dapibus, quemadmodum tempora tulissent, sermonem instituam.

Nunc parsimoniae usus, cui omnes merito tenemur, ad alia nos revocat; quumque de aliis rebus ad rem spectantibus, a *peptocistio* ad... chartaceas vestes verba habuerimus, si hodie argumentum **de tessera**. Nonne enim ipsarum expertes panem, praecipuoque alios cibos ad victimum necessarios, comparare nunc nobis nequeamus?

Si verbi etymon perquirere volumus, facile Isidoro (*De orig.*, XVIII, 63) assentiri possumus, tesseras esse vocatas « quia quadrae sunt ex partibus omnibus ». *Tέσσερες* enim Ionice pro *τέσσαρες* inter omnes constat idem sonare atque *quattuor*.

Primum igitur ac proprie *tessera* appellata est solida figura geometrica sex lateribus constans, a Graecis, ac proinde a Latinis, cubus (*κύβος*) vocata; eamque significationem et formam retinuit in *tessera lusoria*; quo nomine cubi illi ossei vel lignei dicti sunt punctis distincti, quibus in alveolum iactis luditur: Itali *dado* hanc tesseram vulgo appellamus, e verbis profecto, quibus ludentes in iactu utuntur: *Da!* - *Do!*

Generaliter vero tesserae nomine dictum est frustum ligni, panni aut lapidis, plerumque quadrata figura ad quidpiam ornandum, ad insitionem, ad pavimenta sternenda; unde et *tesserula* et *tessella* (Italice *tessello*). Hinc factum est ut tesserae usus ab adiectivo eidem nomini attributo exprimeretur. Fuit itaque *tessera hospitalis* ad ius hospitii significandum. Scilicet mos erat dari hospitibus abeuntibus tesseram dimidiatam, qua, si redirent, conferendo cum altera dimidia agnoscere possent, et ut veteres hospites admitterentur,

Fuit pariter *tessera militaris*, regula, taleola seu tabella, symbolum discernendis sociis ab hostibus et exploratoribus, significandis iussis imperatoriis, obeundis vigiliis, etc. « *Signum mutum* » ea tessera dicebatur, ut a « vocali signo » distingueretur, nempe a verbis aut sonis ad eundem finem, prout adhuc solemus, adhibitis. Memora Vergilii illud (*Aen.*, VII, 637):

Classica iamque sonant: it bello tessera signum;
ubi adnotat Servius: « *Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur; scilicet propter confusionem, ut fuit in exercitu Marii “ Lar Deus „, in Sullae “ Apollo Delphicus „, in Caesaris “ Venus genitrix „.* »

Denique – ne de *tesseris gladiatoriis* loquamur, toties gladiatoriis datis quotiescumque in pugnis victores fuissent, quaeque, eburneae, ex torquibus appensa, quasi testes pugnarum devictarum, pendere ante eorum pectus solebant¹ – *tessera frumentaria* aut *nummaria* fuit, qua exhibita unusquisque frumenti aut pecuniae certam summam ab annonae praefecto accipiebat. Eae pauperioribus ad levandam inopiam tribuebantur; quamvis in gymnicis ludis ab Imperatoribus indiscriminatim inter spectantium turbam deinde effundi solerent. Narrat enim Dion, Titum ex alto loco in theatrum tesseras proiecisse, in quibus praemium aut vestis aut argentei vasis aut aurei nummi, aut equi aut iumenti esset inscriptum; quas ii, quibus contigissent, ad ludo rum praesidem deferebant, a quo rem indicatam accipiebant. Idem de Nerone scripsit, per symbola sive per tesseras donare plebem consuevisse rebus delicatissimis quae ad cibum; auro praeterea, argento, vestibusque ex variis coloribus.

Tessera ex adverso, ad quam hodie cogimur, et *annonariam* dicimus, ad effrenandam cibi cupiditatem est, qui rationabiliter distribuitur deque certo, nec satis parvo, ecasitor, pretio....

Sunt lacrimae rerum!

¹ Postquam gladiatores plures huiusmodi tesseras essent consequuti, rude donabantur; mox manumissi pileum libertatis sumebant.

* * *

Locosa.

Tuccius de domesticarum rerum notione periculum facit.

- Euge, dic mihi quid sit frumentum.
- Cereale quoddam.
- Ad quid cereale huiusmodi maxime adhibemus?
- Ad panem conficiendum, qui est cibus nobis maxime necessarius.
- Optime. Et quomodo obtinere panem nobis licet?
- Tuccius, re mature perpensa:
- Per tesseram annonariam!

Ad cauponam.

— Vae furciferis vobis, qui adventoribus tam insolenter illuditis! Dixeris ergo, puer, aequam carnis portionem, hoc frustum, imo buccellam?

— Eia, domine mi, fac ardor animi tui consideat. Si enim parvula portione tam acriter succenses, ecquid futurum foret si maior ea portio esset?

* * *

Aenigmata

I

Quum facie caream, quaeris cur dicar
[imago?]

Quum tua verba sequar, dic, ubi lingua
[mea est?]

II

Particulae duae, interrogandi aut dubitandi prima, clamandi altera, cuiusdam verbi imperativa voce interiecta, dant flumen Italiae. Arripe flumen.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Gallus*; 2] *Passer, Asser*).

IOSFOR.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.